



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 20. Historia Josephi Patriarchæ expenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

§. XX.

Historia Iosephi Patriarcha expenditur.

Hoc ipsum meo iudicio clarissimè elucet in historia sanctissimi Patriarchæ Joseph, quam quotiescunque considero, video in eo mirificè resplendere divinam providentiam, non aliter ac in meridie, conspicuus sine nube Sol, diffusis quæquæ versum radijs intuentium oculos in se convertit. **Æ**terno suo consilio constitutum habebat Deus ut Ægyptus quàm latè pateret, nec ejus tantum incolæ sed exteræ etiam gentes durâ annorum septem fame laborarent, adeo ut postquam omnia bona sua aut vendidissent aut oppignerassent pro frumêto, sterilitate nihilominus perseverante redacti ad incitas populi sine bonis, sine pane tandem fame perirent, nisi tanto malo singularis occurreres providentia. Ad hoc opus Joseph eligitar, qui afflictissimis his regionibus saluti esset & subsidio ijs medijs, quæ Spiritus sanctus illi suggereret. Verùm quis sibi poterat persuadere eum ad tanti fastigium honoris divinæ ipsi volutate constituti per tantorum malorum occursum, per tot præcipitia adversosque casus & continuam quasi mortem emergerum. Et tamen hujusmodi viam ingredi &

pro-

profequi necesse erat, ut eo perveniret quod
 rat à Deo destinatus. Nam primum quidem
 fuit à fratribus suis invidia stimulante con-
 ctus in cisternam veterem, sed paulò post
 de extractus commiseratione quorundam ex
 his ipsis minùs malorum: tum ab iisdem ven-
 ditus in mancipium mercatoribus Madama-
 tis. Deinde in Ægypto cum Domino suo fi-
 delissimè serviret, falso accusatus in carcerem
 traditus est, ubi annos aliquot tam Deo che-
 rus quam hominibus ignotus exegit; donec
 superatà fratrum suorum invidia, impudice
 mulieris libidine ejusque malè creduli mariti
 crudelitate illustrior virtutum & sapientia
 meritis in notitiam venit Pharaonis, a quo
 non tantum evocatus est è carcere, sed eve-
 ctus etiam ad dignitatem penè regiam, dum
 secundus à Rege constitutus est super un-
 versam terram Ægypti, ut ad ejus imperium
*tuncius populus obediret nec moveret quovis
 manum aut pedem in omni terra Ægypti Gen.*
 41. Non est dubium quin potuisset Deus ex-
 emptum à cunctis, quas passus est, miseris, de
 domo eductum paternam in qua laborare
 suorum invidia & odio, continuo evehere ad
 thronum Pharaonis, ut ab omnibus in Ægy-
 pto velut sol oriens suspiceretur; sed non tra-
 bet hoc in more positum divina providentia
 Not

Non nisi medijs è spinis videmus efflorescentes rosas, nec à Deo electos ascendere ad culmina honorum nisi per ignominias, opprobria, exilia, & aduersa varia. Hoc est quod dixit Sapiens: *antequam glorificetur, humiliatur*. Descensu ascensum, ignominia gloriam, aduersis prospera mereri necesse est. Descendite clamat S. Augustinus, descendite qui ascendistis in altum, alioqui peribitis, fugiendo aduersitates incidistis in illas, cecidistis enim ascendendo. Non est alia via perveniendi ad gaudium quàm via crucis & afflictionum; nec brevior ascenditur ad gloriam quàm descensu ad tolerantiam opprobriorum.

§. XXI.

Deus nullum permittit aut immittit malum, nisi ut inde eliciat bonum.

In hanc rem uti possumus illis verbis quæ Deus per Prophetam suum Isaiam nuntiare jubet omnibus justis, nimirum quidquid illis miseriarum ac calamitatum acciderit, in bonum illorum cessurum. *Dicite justo, quoniam bene.* Isa. 3. Dicite, inquam homini justo, ne graviter ferat persecutiones, quas sustinet, & damna quæ patitur in bonis temporibus: fiduciam ne perdat & animum divinæ voluntati conformem; dicite illi Dei nomine quod